

## OVID'S METAMORPHOSES (X.1-77): ORPHEUS AND EURYDICE

1           Inde per immēsum, croceō vĕlātus amictū,  
2           aethera dīgreditur Ciconumque Hymenaeus ad ōrās  
3           tendit, et Orphēā nēquīquam vōce vocātur.  
4           Adfuit ille quidem, sed nec sollemnia verba  
5           nec laetōs vultūs nec fēlīx attulit ōmen.  
6           Fax quoque, quam tenuit, lacrimōsō strīdula fūmō  
7           ūsq̄ue fuit nūllōsq̄ue invēnit mōtibus ignēs.  
8           Exitus auspiciō gravior: nam nūpta per herbās  
9           dum nova, Nāiadum turbā comitāta, vagātur,  
10          occidit in tālum serpentis dente receptō.

11          Quam satis ad superās postquam Rhodopēius aurās  
12          dēflēvit vātēs, nē nōn temptāret et umbrās,  
13          ad Styga Taenariā est ausus dēscendere portā,  
14          perque levēs populōs simulācraque fūncta sepulcrō  
15          Persephonēn adiīt inamoenaque rēgna tenentem  
16          umbrārū dominum, pulsīsq̄ue ad carmina nervīs  
17          sīc ait: “Ō positī sub terrā nūmina mundī,  
18          in quem reccidimus, quidquid mortāle creāmur,  
19          sī licet et falsī positīs ambāgibus ōris  
20          vĕra loquī sinitis, nōn hūc, ut opāca vidērem  
21          Tartara, dēscendī, nec utī villōsa colubrīs  
22          terna Medūsaeī vincīrem guttura mōnstrī:

23 causa viae est coniūnx, in quam calcāta venēnum  
24 vīpera diffūdit crēscentēsque abstulit annōs.  
25 Posse patī voluī nec mē temptāsse negābō:  
26 vīcit Amor. Superā deus hic bene nōtus in ōrā est;  
27 an sit et hīc, dubitō. Sed et hīc tamen auguror esse,  
28 fāmaque sī veteris nōn est mentīta rapīnae,  
29 vōs quoque iūnxit Amor. Per ego haec loca plēna timōris,  
30 per Chaos hoc ingēns vāstīque silentia rēgnī,  
31 Eurydicēs, ōrō, properāta retexite fāta!  
32 Omnia dēbentur vōbīs, paulumque morātī  
33 sērius aut citius sēdem properāmus ad ūnam.  
34 Tendimus hūc omnēs, haec est domus ultima, vōsque  
35 hūmānī generis longissima rēgna tenētis.  
36 Haec quoque, cum iūstōs mātūra perēgerit annōs,  
37 iūris erit vestrī—prō mūnere poscimus ūsum.  
38 Quod sī Fāta negant veniam prō coniuge, certum est  
39 nōlle redīre mihī: lētō gaudēte duōrum.”

40 Tālia dīcentem nervōsque ad verba moventem  
41 exsanguēs flēbant animae; nec Tantalus undam  
42 captāvit refugam, stupuitque Ixīonis orbis,  
43 nec carpsēre iecur volucrēs, urnīsque vacārunt  
44 Bēlides, inque tuō sēdistī, Sīsyphe, saxō.  
45 Tunc prīmum lacrimīs victārum carmine fāma est

46 Eumenidum maduisse genās; nec rēgia coniūnx  
47 sustinet ōrantī nec, quī regit īma, negāre,  
48 Eurydicēnque vocant. Umbrās erat illa recentēs  
49 inter, et incessit passū dē vulnere tardō.  
50 Hanc simul et lēgem Rhodopēius accipit hērōs,  
51 nē flectat retrō sua lūmina, dōnec Avernās  
52 exierit vallēs, aut irrita dōna futūra.

53       Carpitur acclīvis per mūta silentia trāmes,  
54 arduus, obscūrus, cālīgine dēnsus opācā.  
55 Nec procul āfuerant tellūris margine summae:  
56 hīc, nē dēficeret, metuēns avidusque videndī,  
57 flexit amāns oculōs. Et prōtinus illa relāpsa est,  
58 brachiaque intendēns, prēndīque et prēndere certāns,  
59 nīl nisi cēdentēs infēlix arripit aurās.  
60 Iamque iterum moriēns, nōn est dē coniuge quicquam  
61 quæsta suō (quid enim nisi sē quærerētur amātam?),  
62 suprēmumque “Vale,” quod iam vīx auribus ille  
63 acciperet, dīxit revolūtaque rūrsus eōdem est.